



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid sunt, & quomodo differunt?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

non fuerit pro præterito voluntarium. Hinc ei, qui alterum lethaliter vulneravit, mors læsi post ejus contritionem secuta imputatur, & is fit irregularis ex delicto.

*Q. 10. Quot modis potest quis esse reus peccati alieni, & illud contrahere?*

*Resp.* His nimirum: jussione, suasionem, cooperationem, auxilio, consensu, favore, laudatione seu adulatione, pravâ doctrinâ, exemplo, & silentio. Nam qui uno ex his modis cooperatur peccato alieno, censetur causa moralis illius, etque verè consentit, vel expressè, vel virtualiter, vel interpretativè, & sic illius malitiam, ac reatum contrahit: *Nam digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ad Rom. 1.

## CAPUT II.

### *De Peccato Mortali, & Veniali.*

*Q. 1. Quid sunt, & quomodo differunt?*

*Resp.* I. Peccatum mortale est legis divinæ transgressio gravis, & proinde gravis offensa Dei privans amicitiam divinam, & gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis vi-

ta

ta animæ, atque reddens peccatorem dignum odiô Dei, ac pœnâ æternâ. Veniale verò est legis transgressio levis, & levis offensa Dei, quæ nec privat gratia sanctificante, nec amicitia divinâ, nec ex se meretur pœnam æternam, sed solùm temporalem: nec proinde excludit à cælesti beatitudine, sed solùm retardat ejus affecutionem; nec extinguit charitatem, sed solùm ejus fervorem impedit.

Differunt inter se, quòd mortale sit Dei contemptus, saltem virtualis, & interpretativus: nam peccatum mortale est prædilectio, seu prælatio creaturæ præ Deo, vel æquatio cum Deo, & aversio à Deo tanquam à fine ultimo, atque adhesio creaturæ tanquam fini ultimo. Nam qui mortaliter peccat, legem Dei aliquid pro jure suo graviter præcipientis, vel vetantis violat graviter, ac proinde graviter violat jus divinum, & sic gravem injuriam facit Deo: unde graviter illum offendit, & meritò censetur contemnere auctoritatem, majestatem, & amicitiam ejus. Hinc Deus de graviter peccantibus ait Isa. 1. *Ipsi spreverunt me*, & 1. 1. Reg. c. 2. *qui contemnunt me, erunt ignobiles*. Item talis hoc ipso præfert creaturam amicitia, & possessioni Dei ob aliquod bonum creatum faciendo id, quod privat amicitia, & possessione Dei, & sic eligendo potius frui creaturâ, quàm Deo. Quæ omnia non conveniunt

nijunt

niunt peccato veniali, quod est solum levis transgressio, & offensa, quæ non est digna privatione amicitia Dei.

*Resp.* II. Mortale & Veniale ut talia semper differunt inter se specie morali, ideoque essentialiter. Quia illorum malitia notabiliter inter se differunt in ratione offensa: nam mortale habet specialem, ac gravem malitiam positam in contemptu Dei, & aversione à Deo tanquam à fine ultimo, atque conversione ad creaturam, quæ non reperitur in veniali. Quilibet autem contemptus Dei etiam virtualis continet gravem deordinationem, ac malitiam, propter infinitam Dei excellentiam, graviterque disconvenit infinitæ Dei Majestati. Quatenus tamen circa idem objectum versantur, possunt esse ejusdem speciei: nam malitia petita ex objecto ejusdem est speciei in furto gravi, & levi, cum ambo eidem præcepto, & virtuti ex eodem motivo opponantur, & differant solum secundum plus, & minus, sintque in eadem specie injustitiæ.

*Q. 2. Quanam requiruntur ad peccatum Mortale?*

*Resp.* Secundum omnes duo. 1. Ex parte objecti aliquid grave, saltem ex fine. 2. Advertentia, & consensus sufficiens ad actum simpliciter liberum, & humanum, qui